

apud hebraeos olim conservabatur. Quare ad hanc difficultatem minuendam postea a masorethis inventa sunt puncta vocalia (1). His autem inventis, cessarunt quatuor illae litterae fungi officio vocalium, et vocari coeperunt *quiescentes*; quia post inventa illa puncta non semper sonant seu pronuntiantur, etiamsi in voce sint positae, sed saepe quiescunt. Sonant enim duntaxat, quando funguntur munere suo proprio, id est, consonantium; quiescunt, quando fungi deberent munere alieno, id est, vocalium, quo olim fungebantur (2). Haec de his punctis eruditionis causa dicta sunt. Illud autem denuo observo, nos non negare illa quatuor puncta, *matrices lectionis* dicta, iam ante tempora masoretharum extitisse, et apud hebraeos fuisse in usu; quamvis contendamus puncta vocalia, quae hodie textui hebraico appingi solent, et universim numero sunt quatuordecim (3), esse inventum masoretharum.

ARGUMENTUM II. Non est verisimile, quod Deus usque ad saeculum aerae christianae 5 aut 6 reliquerit sensum sacri textus hebraici vagum, dubium, et incertum: sed talis fuisset punctis vocalibus non appositis; ergo haec puncta iam a *Moyse*, vel certe ab *Esdra* sacro textui fuere apposita. R. I. Hoc argumentum ipsimet adversarii, *saltem plerique* solvere debent, qui puncta illa vocalia non a *Moyse*,

(1) Triplicis generis sunt haec puncta. Quinque eorum sunt magna, i. e. vocales longae; alia quinque sunt parva, seu vocales breves; quatuor denique sunt minima, seu vocales brevissimae, et puncta rapti vocantur, quia raptim et cum maxima celeritate pronuntiantur. Universim itaque hebraei habent vocales, seu potius puncta vocalia quatuordecim, quae nos a masorethis inventa et textui hebraico apposita fuisse, contendimus. Porro omnium ho-

rum punctorum nomina, formam et potestatem exhibent *Bellarminus*, *Guarin*, *Weitenauer* aut alii in suis grammaticis hebraicis. (2) Vide *Bellarmini* grammaticam hebraic. p. 1, c. 2 et 5, aut *Guarin*, tom. 1, lib. 1, c. 2, et tom. 2 in praefat. ad initium art. 1 et art. 2, § 2, argum. 3, ac etiam principio 7. (3) Vide praeced. notam (1).

sed primum ab *Esdra* sacro textui addita fuisse dicunt; prout eorum plerique docent. Quaero enim ex ipsis, an verisimile sit, quod Deus usque ad tempora *Esdrae* (hoc est per novem circiter saecula, quod nimirum a *Moyse* usque ad *Esdram* numeramus) reliquerit sensum sacri textus hebraici a *Moyse* scripti vagum, dubium, incertum? R. II. conc. mai., neg. min. Nam ambiguitas lectionis potuit tolli, et sublata est per continuam traditionem, usum, et iudicium ecclesiae. Sicut enim usus genuinae lectionis per antiquos rabbinos ad posteros propagatus usque ad Christum fuit; ita ad nos per LXX interpretes, ac ss. patres verus sensus (quem ecclesia praecipue spectat et determinat ad conservandam doctrinam fidei et morum) pervenit. Ex quo ipso ut *Morinus* recte ait, patet *divinum consilium*, ut omnes ecclesiae iudicio se submitterent, ut se olim submiserunt israelitae. At

INQUIES: Hoc ipsum non est perceptibile, neque verisimile, quod per tot saecula recta legendi textum hebraicum ratio sine punctis vocalibus conservata sit. R. Nego illatum. Nam non est captu difficile, quomodo praedicta traditio textum hebraicum etiam sine punctis vocalibus recte legendi per tot saecula potuerit in sua integritate conservari. Fuerunt enim quovis saeculo apud iudaeos rabbi multi, qui libros divinos diurna nocturnaque

rum punctorum nomina, formam et potestatem exhibent *Bellarminus*, *Guarin*, *Weitenauer* aut alii in suis grammaticis hebraicis.

(2) Vide *Bellarmini* grammaticam hebraic. p. 1, c. 2 et 5, aut *Guarin*, tom. 1, lib. 1, c. 2, et tom. 2 in praefat. ad initium art. 1 et art. 2, § 2, argum. 3, ac etiam principio 7.

(3) Vide praeced. notam (1).

manu versabant, suisque discipulis versandos tradebant, eos instruentes, quomodo ex veterum traditione patrum legi debeant. Solemne insuper fuit toti genti iudaicae, ubicumque degeret, per omne sabbathum in singulis synagogis legere *Moysem* et prophetas, psalmosque lingua hebraica decantare. Unde s. *Iacobus* (1) ait: « *Moyse* enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbathum legitur. » Quid igitur mirum, quod sine adscriptis vocalibus aut punctis recta legendi ac pronuntiandi textum hebraicum ratio usque ad tempora masoretharum per continuam traditionem apud iudaeos fuerit conservata? Et profecto olim pueri, ait *Salmeron* (2) « solebant legere sine punctis, cum haec non essent; et modo maronitae, qui habent Scripturas in lingua et caractere hebraeo, sine ullis legunt punctis. » Item liber legis in iudaeorum synagogis legi solitus (3), librique rabbinorum, etsi nullas habeant punctorum vocalium, accentuum, periodorum et commatum notas, leguntur tamen ab iis, qui linguae periti sunt: leguntur, inquam, cum periodorum distinctione, et cum vocalium, et accentuum pronuntiatione. Idem contingit in lingua arabica, aliisque orientalibus. Unde p. *Lamy* (4) ait: *Pueriturcarum, arabum, persarum, ac omnium denique mahummedanorum sine punctis legere discunt.* Sic etiam periti antiquissimos libros graecos et latinos legunt, et pausant, ubi pausandum est, et distinctiones a se invicem secernunt, et cum legitimo accentu efferunt, licet in illis libris nulli sint accen-

(1) Act. c. 15, v. 21. (2) Proleg. 4. (3) Vide supra n. 101 in probatione nostrae sententiae, probat. 2.

tus, nulla commata, nulla saepe dictionum distinctio, sed lineae omnes velut una dictio scriptae sint. Ceterum si dubium sit quomodo textus s. Scripturae legendus aut intelligendus sit, id ultimato ex iudicio ecclesiae desumendum, quae, sicut in aliis rebus fidei et morum, ita etiam in hoc infallibilis controversiarum iudex est.

ARGUMENTUM III. Punctorum vocalium et accentuum mentio iam fit in ipsa *Masora*, seu in doctrina critica circa rectam lectionem et scriptionem textus hebraici s. Scripturae, multaque ibi notantur vocabula, quae contra regulas punctantur: ergo haec puncta sunt masorethis antiquiora. R. *Masoram* nec unius auctoris, nec unius saeculi opus esse, sed a variis criticis coeptam, et longa temporum serie continuatam. Priores itaque puncta vocalia invenerunt, et sacro textui inscripserunt: posteriores vero notas suas circa punctationem vocum quarundam addiderunt. Certum enim est, quod *Masorae* perficiendae plurimi, et ut inquit *Elias Levites* (5) fuerunt centum et mille generatione post generationem. Praeterea priorum masoretharum notis absque scrupulo suas adiecerunt posteriores notas magistri, *Masoramque* ut opus imperfectum semper spectarunt. Unde memoratus *Elias* (6) ait, *notas illas eiusmodi esse, ut semper eis aliquid novi adiaci possit, et nova in dies excogitari possint.* Unde non mirum, quod in ipsa *Masora* saepe de punctis vocalibus mentio fiat, etsi haec puncta primum a masorethis inventa fuerint.

ARGUMENTUM IV. Christus ipse iam mentionem punctorum facit, cum

(4) In apparatu bibl. d. 2, c. 3.

(5) In *Masoreth Hammassoreth* l. 1.

(6) Praefat. in *Masoram*.

ait (1): *Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Et apud Lucam (2): *Facilius est coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* Pro apice autem in textu graeco est *κεφαλή*, quae vox apud *Plutarchum* etiam *punctum* significat: ergo iam tempore Christi puncta legi seu textui sacro hebraico adscripta erant. Accedit testimonium s. *Hieronymi*, qui pariter apicem sacro textui hebraico adscripturum iterato meminit. *¶* Apicis nomine in his textibus non significatur punctum vocale, sed literae quantumvis minimae particula. Sensus itaque est, coelum et terram potius interitura, quam ullum iōta, hoc est ullum *Iod* (ut textus syriacus habet) vel minimae huius literae *Iod* particula e lege excidat, aut ea, quae ibi praedicta sunt, non impleantur. Ratio huius responsionis est, quia *apices literarum* ipsos literarum ductus seu partes dixit *Gellius*, et hinc natum proverbium, *de iuris apicibus disputare*. Hinc in textu syriaco loco *apicis* ponitur *serō*, quae vox syriaca (3) non significat *punctum*, sed *lineolam* vel ductum literae. Eodem sensu s. *Hieronymus* (4) ait, literam *Resch* a litera *Daleth* iuxta hebraeos apice differre, id est ductu modicissimo seu *paululum literae apice commutato*, ut idem s. pater ait: item in prologo galeato, sive praefat. in L. Reg. inquit: *Samaritani etiam Pentateuchum Moysis totidem literis* (quot literis hebraei) *scriptitant, figuris tantum et apicibus discrepantes.* Ubi s. *Hieronymus* denuo nomine *apicum* non intelligit puncta vocalia (his enim semper caruerunt sama-

(1) Matth. c. 5, v. 18.

(2) Cap. 16, v. 47.

(3) Vide *Cotzen* in citata s. *Matthaei* verba

ritani), sed minutulos quosdam literarum ductus, seu inflexiones et curvaturas, quibus samaritanae literae ab hebraicis novis, seu chaldaicis (5) differunt. Neque enim verisimile est, samaritanos olim puncta vocalia habuisse, cum hodie nulla habeant, nec afferri possit prudens ratio, cur fuerint abrogata, nec tempus designari, quando haec mutatio facta sit.

INSTABIS: In libro *Talmud*, qui masorethis antiquior est, item apud s. *Hieronymum* pariter antiquiorem mentio fit *accentuum* (6) apud hebraeos usitatorum: atqui per hos accentus nil aliud intelligitur, quam puncta vocalia. Imo s. *Hieronymus* (7) expresse ait, *hebraeos vocalibus literis*, licet *perraro uti*. *¶* Nec *Talmudis* auctores, nec s. *Hieronymus* nomine *accentuum* intelligunt inscriptionem punctorum vocalium, sed *pronuntiationem* seu certam soni rationem ac vocis inflexionem, qua non solum vocales, sed etiam consonantes literae effertur, quaeque pro locorum, temporum ac personarum diversitate solet esse diversa, manente licet eodem verborum sensu. Hinc s. *Hieronymus* in cit. epist. ad *Evagrium* ait: « Non refert utrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur hebraei, et pro voluntate lectorum atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur. » Igitur s. *Hieronymus* de literis vocalibus et accentibus non scriptis sed *pronuntiatis* loqui censendus est, quia ait, *pro voluntate lectorum atque varietate regionum eadem verba diversis sonis atque accentibus proferri*. Similiter

(4) Comm. in *Abdiae* cap. un., v. 1.

(5) Vide supra p. 243 in nota (1).

(6) Epist. 126 ad *Evagrium*.

(7) Ibidem

de libro *Talmud* dicendum, quod non de accentibus scriptis, sed de pronuntiatione, seu certa soni ratione ac vocis inflexione loquatur.

Ceterum etiamsi s. *Hieronymus* loqueretur de vocalibus literis *scriptis*, non esset nobis contrarius. Non enim negamus veteres hebraeos iam ante masoretharum tempora habuisse aliquas, licet *perraras* vocales literas, seu potius consonantes, quibus vocalium loco utebantur in scribendis aut legendis codicibus hebraicis; ut supra in solutione primi argumenti pluribus explicavimus.

ARGUMENTUM V. Liber *Zohar*, cuius auctor r. *Simeon Ben Iochai* circa annum Christi 120 (adeoque diu ante tempora s. *Hieronymi*) mortuus, imo (ut quidam volunt) Christo antiquior est, asserit *puncta et vocales traditionem esse Moysis de monte Sinai*: ergo puncta vocalia iam saeculo secundo aerae christiane vel omnino ante Christum cognita erant. *¶* Cum *Iovanne Morino* viro doctissimo (1), librum *Zohar* esse longe recentiore, et r. *Simeoni* suppositum. Novo enim libro antiquum nomen praefixum fuit, ut non raro fieri solet; et inane iudaeorum figmentum est, quod hic liber tamdiu (nimirum a temporibus r. *Simeonis Ben Iochai*) in Aegypto latuerit, nam r. *Saadias*, totius Aegypti rabbinus celeberrimus, ex Aegypto Babylonem ad scholas iudaeorum regendas evocatus ante annos circiter 700, libri *Zohar* ne quidem meminit. Apud *Moysem* quoque *Cordubensem*, qui totam fere vitam in Aegypto egit, magnaue scripsit volumina, in quibus aliquando (2) *Simeonis Ben Iochai* onorifice meminit: item apud

(1) L. 2, exercit. 9 de hebraei, graecique textus sinceritate, c. 5 et 6.

(2) Ut *Commentario* in *Mishnam*.

r. *Abraham Levitam*, qui ante annos quingentos iudaeorum historiam scripsit, magnaue cum diligentia rabbinorum antiquorum libros celebravit, et ipsius r. *Simeonis*, quem libri *Zohar* auctorem esse commenti sunt, cum laude meminit; tamen altum de eodem libro silentium est. Nemo denique iudaeus ante 300 aut 400 annos de hoc libro aliquid audiverat. Praeterea argumentum recentioris aetatis huius libri est laus sapientiae, doctrinae et eruditionis, quam saepe ismaelitae sive arabibus tribuit, apud quos tamen scientiae non flourerunt nisi ducentis post *Mahumetem* annis, id est, saeculo aerae christianae octavo vel nono. Taceo plura alia argumenta, ex quibus ostenditur, librum *Zohar* primum post tempora s. *Hieronymi* scriptum esse. Tantum igitur abest, ut ex libro *Zohar* vocalium punctorum antiquitas apud hebraeos probetur, ut potius ex punctorum vocalium mentione libri illius novitas demonstratur; quam agnoscunt etiam *Buxtorfius* (3), *Iosephus Scaliger* (4), et alii hebraica literatura insignes scriptores.

ARGUMENTUM VI. Prorsus incognita illa schola masoretharum, in qua dicuntur puncta vocalia esse inventa, nec locus designari potest, ubi illa schola fuerit: ergo *¶* I. Etsi punctorum vocalium inventores, et locus ubi eorum schola extiterit, incogniti essent; certum tamen est, dictorum punctorum originem ad *Moysen* vel *Esdras* referri non posse; ut patet ex argumentis supra (5) ad probandam nostram sententiam adductis. Ceterum saepe res quoad substantiam certa est, etsi non omnia eius ad-

(3) In bibliotheca rabbinica.

(4) Epistola 245 ad *Buxtorfium*.

(5) Num. 101.

iuncta, seu circumstantiae, id est, quo loco, tempore etc. res illa extiterit, demonstrari possint. R. II. Communissima auctorum sententia est, scholam masoretharum fuisse *Tiberiade*, quae est urbs in Palaestina percelebris, vicina mari *Tiberiadis* seu stagno *Genesareth Ioan.* 6 et 21. Hic enim scholam hebraeorum valde celebrem fuisse, colligitur ex ss. *Epiphano*, haeres. 30 et *Hieronymo* (1) testante, se linguae hebraicae praeceptorem habuisse rabbinum tiberiensem suos inter celebrem. Nemo etiam diffitetur r. *Ben Ascer*, qui Biblia hebraica, eorumque punctationem post annum Christi millesimum recensuit in Palaestina vixisse, ibique scholae cuidam iudaicae praefuisse.

106. COROLLARIUM. Cum puncta vocalia, textui hebraico adscripta, non sint auctoritatis divinae, sed humanum inventum rabbinorum, qui diu post Christum natum ea textui apposuerunt, ne pronuntiatio penitus concideret, patet, quod haec puncta praecise secundum se spectata non habeant irrefragabilem auctoritatem. Imo non desunt, qui cum *Calmeto* dicant, sacri textus puritatem a masorethis interdum fuisse corruptam odio christianae religionis. In hoc tamen omnes conveniunt, quod masorethae, exceptis locis, quae christianae religionis odio iuxta quorundam opinionem corruperunt, in reliquis Scripturae textibus hebraicis incorrupte servandis diligentes admodum, et minuti etiam fuerint: nam, ut *Serarius* (2) notat, masorethae singulos Scripturae versus, singulorum versuum vocabula omnia, singulorum vocabulorum litteras omnes dinumerarunt, annotarunt et ad posterostros transmiserunt. Itaque eo et-

(1) Praefat. in Paralip. ad *Domin.* et *Rogat.*

iam descenderunt, ut, quoties unaquaeque littera in sacris libris, quos hebraei recipiunt, repeteretur, annotarent, et summam inirent, v. g. *aleph* esse 24377, *beth* 38218, *ghimel* 29537 in sacris libris, et sic de reliquis litteris alphabeti hebraici. Ex quo fit, textum hebraicum versioni nostraelatinae magnam lucem afferre posse, et linguae sanctae cognitionem magno esse adiumento bibliorum interpretibus, ut verum illius sensum assequi possint, salva tamen vulgatae latinae a tridentino approbatae auctoritate. Ceterum, quamvis laude digni sint masorethae, quod menda textus hebraici emendarint, quod puncta et accentus invenerint, quae ad faciliorem textus lectionem multum conferunt, quodque singulos versus, voces et litteras sacri textus annotarint; aliqua tamen, quae in aliis linguis ad facilitatem lectionis magnum afferunt adiumentum, omiserunt, notas scilicet interrogationis, admirationis, interiectionis, exclamationis, parentheses, et alia id genus, quorum in exemplaribus hebraicis nullum apparet vestigium.

107. QUÆRES V. *Quomodo concilietur locus* (I. Esdr. 1, 9, 10) *ubi dicitur, vasa sacra, iudaeis restituta, universim confecisse 2499, cum versu 11 (ibidem), ubi scribitur, fuisse vasa 5400?* Resp.: versu 9 et 10 solum sermo est de vasis maioribus; versu 11 autem de omnibus tam maioribus, quam minoribus. Ita cl. *Widenhofer* (3).

108. QUÆRES VI. *Quomodo concilietur locus* (I. Esdr. 2, 5), *ubi Esdras numerat 775 filios Area, qui cum Zorobabele e Babylone in Iudaeam redierunt, cum loco* (II. Esdr. 7, 10), *ubi solum 652 filii Area cum Zorobabele rediisse dicun-*

(2) In s. Script. proleg. c. 12, q. 2.
(3) Comment. in I. Esdr. c. 1, v. 11.

nur? Resp.: Vel aliqui inscripti primo catalogo ab *Esdra* recensito mutarunt consilium suum et Babylone permanserunt, aut redierunt Babylone; vel in itinere mortui sunt, quos propterea *Nehemias* in libro, qui II. *Esdrae* dicitur, in suo indice omittere voluit. Ita cl. *Widenhofer* (1) cum aliis.

109. QUÆRES VII. *Quomodo* (I. Esdr. 1, v. 8) *SASSABASAR dicitur princeps Iuda; cum tunc temporis ZOROBABEL* (I. Esdr. 2, v. 2) *fuerit princeps Iuda?* R. Cum *Calmeto*, *Tirino* et aliis interpretibus: *Sassabasar* ille erat ipse *Zorobabel*, qui a chaldaeis vocabatur *Sassabasar* i. e. laetitiam in tribulatione, non secus ac *Daniel* appellabatur *Balthasar* (2). Res enim eruditissimum est, viros nobiles apud hebraeos, et maxime apud gentes variis notari nominibus.

110. QUÆRES VIII. *An in catalogis iudaeorum Babylone Hierosolymam revertentium* (I. Esdrae cap. 2, et II. Esdr. cap. 7) *nulla sit contradictio? Hi enim catalogi neque in summa personarum, neque in earum nominibus concordant.* R. Haec diversitas nullam supponit falsitatem in s. Scriptura, sed inde orta videtur, quod numerus iudaeorum e captivitate Hierosolymam revertentium saepius sit recensitus, v. gr. *primo*, cum e Babylone demigrarent: *secundo*, cum in Iudaeam appellerent: *tertio*, cum instaurato iam templo dedicationem illius celebrarent. Unde et diversi catalogi confici, et diversi personarum numeri notari potuerunt, prout decursu temporis alii aucti fuerunt liberis, alii orbat. Quare ex uno horum catalogorum potuit *Esdras*

(1) Ibid. c. 2, v. 5.
(2) Daniel. c. 1, v. 7.
(3) Vide *Franc. Lucam*, hic notat. 79.
(4) Comment. in II. Esdr. c. 2, v. 2.

sua excerpisse; *Nehemias* (qui est auctor libri, qui II. *Esdrae* vocatur) ex alio catalogo (3). Praeterea dicta varietas potuit accidere, quod nonnulli iam catalogo revertentium adscripti, mutata mente remanserint, aut in via obierint; vel in catalogo *Esdrae* initio non adiuncti, profectionem tamen deinceps susceperint, et numerum in catalogo *Nehemiae* auxerint. Aliter ad enodandam hanc difficultatem respondet *Calmet* (4) contendens *Esdras* cum *Nehemia* in summa personarum recensitarum omnino convenire. At

INSTAT impius auctor *de analysi religionis christianae* (5), et ait: Summa omnium israhelitarum ex captivitate reversorum (I. Esdr. 2, v. 64) dicitur fuisse *quadraginta duo millia trecenti sexaginta*. Verum, si singulae summae partiales illo capite enumeratae in unam colligantur, tantum universim 29819 reperiuntur, manifesto contradictionis indicio. R. *Esdras* cit. capite imprimis recenset eos, qui genealogiam suam poterant indicare, et hi erant numero 29818 (obiectio erronee ponit summam 29819). At praeter eos, qui recensiti sunt, alii plurimi esse potuerunt tum liberi, tum servi, tum ex Iuda et Benjamin, tum ex aliis tribubus, qui genealogiam suam cum ostendere non possent, in hac recensione minime expressi fuere sub nomine patrum suorum, nec eorum numerus cit. capite distincte positus. Sic *Esdras* (6) ait: « Et hi qui ascenderunt de Thelmala, Thelharsa, Cherub, et Adon, et Emer: et non potuerunt indicare domum patrum suorum, et semen suum utrum ex

(5) Vide cl. *Nonnotte*, lexicon philos. religion. art. *Biblia*, obiect. 7.
(6) Cit. loc. v. 59.

Israël essent. » Hi igitur, aut horum similes, quorum numerum *Esdra*s non, sicut de aliis fecerat, indicavit, cum ceteris iudaeis Hierosolymam ascendebant, erantque numero 12542, ut ex tota summa ascendentium in Ierusalem, quam *Esdra*s cit. cap. 2, v. 64 assignat, colligitur. Si enim 12542 addatur numero 29818, exacte prodit summa 42360. Iam quaero ex incredulo adversario, ubi sit contradictio?

111. **QUAERES IX.** *Quomodo concilietur locus* (I. Esdr. 2, v. 2) *ubi Mardochoai cum Zorobabele e Babylonia in Iudaeam rediit, cum alio Scripturae loco* (Esther. 2, v. 5), *ubi Mardocheus in Persidis civitate Susan habitasse dicitur?* R. Quamvis ille *Mardochoai* idem probabilius sit cum *Mardocheo Estheris* patruo: nulla tamen hic est contradictio. Dicit enim potest, quod, sicut *Nehemias* publici boni causa ad tempus in Iudaeam excurrit; postea vero iterum Babylonem reversus est, officio pincernae regii functus (1): ita etiam *Mardocheus* forsitan ad recuperandas possessiones paternas, hac tam commoda occasione cum *Zorobabele* excurrit in Iudaeam, rediturus post paulo in Chaldaeam, ubi sedem figere statuit (2).

112. **QUAERES X.** *Cur* (I. Esdr. 2, v. 63), *loco NEHEMIAE ponitur ATHERSATA?* R. *Nehemias* dicebatur chaldaice *Athersata*; prout constat ex II. Esdr. 8, v. 9, ubi legimus:

(1) II. Esdr. c. 4, v. ult.; et ibid. c. 2, v. 4.

(2) Vide *Tirinum* in I. Esdr. c. 2, v. 2. et in *Esther*. c. 2, v. 5. Item *Calmeti* dictionarium bibl. v. *Susae*, sive *Susan*.

(3) *Tirinus* comment. in I. Esdr. c. 2, v. 65, suspicatur, *Nehemiam* chaldaice vocatum esse *Athersatam* a chaldaeo verbo *Thersa*, id est, aluit; et *satha*, id est, bibit, seu potavit, q. d. *aluit potu*, seu *pincerna erat regis*. Similiter *Calmetus* comment. in II. Esdr. c. 8, v. 9, ait, *Ather-*

Dixit autem Nehemias (ipse est *Athersata*), et *Esdra*s sacerdos, et scriba, et levitae interpretantes universo populo (3).

113. **QUAERES XI.** *Quomodo locus Scripturae* (I. Esdr. 4, v. 6), *ubi dicitur, quod Israëlites hostes samaritani adversus iudaeos ad regem ASSUERUM scripserint, concilietur cum subsequente versu 7, ubi dicitur, quod similem accusationem praefecti regii ad ARTAXERXEM regem persarum scripserint; cum tamen tunc nec ASSUERUS, nec ARTAXERXES, sed CAMBYSES, et post huius mortem OROPASTES (alio nomine SMERDIS) rex persarum fuerit? Quomodo hic nodus solvitur?* R. Non est opus gladio *Alexandri M.* ad nodum hunc solvendum. Nam *Cambyses* vocabatur chaldaice *Assuerus*, et persice *Artaxerxes*; imo teste *Cornelio a Lap.*, et *Menochio* nonnulli codices hic v. 6 sic habent: *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes*. Et revera ita habet translatio b. *Hieronymi* in polyglottis bibliis card. *Ximenez*. Si vero cum *Calmeto* cit. versu 6 *Cambyesen*, sed vers. 7 *Smerdem* intelligi contendas, pariter nihil contra nos sequitur; quia iuxta hanc opinionem *Cambyses* v. 6 vocatur *Assuerus*, et vers. 7 *Smerdis* vocatur *Artaxerxes*, nimirum *Assuerus* chaldaice, et *Artaxerxes* persice erat commune nomen regum persarum et babyloniorum (4); sicut aegyptiorum regum commune nomen *sata* esse nomen officii, et significare quod *Nehemias* fuerit regis pocillator.

(4) Saepe nomina propria, cum in Iam linguam transferuntur, ita mutantur, ut vix eadem esse videantur. Sic quae hebraice et chaldaice vocatur *Ahsueros* (id est, magnum caput, sive magnus Capitaneus) et latine *Assuerus*, persice nominatur *Ochoarses*, vel *Xerxes* (id est, bellator), aut *Axurxes*, seu *Artaxerxes* (id est, magnum bellator); graece vero *Oxyares*, id est, acer Mars.

erat *Pharao*, et postea *Ptolemaeus*, romanorum vero imperatorum *Caesar*. Id ita esse patet ex variis Scripturae locis (1).

114. **QUAERES XII.** *Quo sensu Zacharias* (I. Esdrae 5, v. 1) *dicitur filius Addo; cum tamen* (ex *Zachar.* 1, v. 1) *constet Addonem fuisse avum Zachariae, huius vero patrem fuisse Barachiam?* R. *Zacharias* fuit *Addonis* nepos, qui iuxta modum loquendi hebraicum dicitur filius sui avi, nempe mediatu. Phrasi enim hebraea omnes nepotes, aut qui ab alio mediate descendunt, vocantur filii, ut ex pluribus Scripturae locis patet (2).

115. **QUAERES XIII.** *Quomodo* (I. Esdr. 6, v. 5) *dicitur possit: VASA QUAE TULERAT NABUCHODONOSOR, POSITA SUNT IN TEMPO DEI; cum tamen templum tunc nondum reaedificatum fuerit?* R. et dico cum *Tirino* et *Cornelio a Lap.* per templum hic intelligi gazophylacium templi, seu certa loca vicina templo iam exusto, in quae inferebantur vasa et dona templi.

116. **QUAERES XIV.** *Quomodo* (I. Esdr. 6, v. 22) *dicitur possit quod ad iudaeos: DOMINUS CONVERTERIT COR REGIS ASSUR; cum tamen excisa iam a 20 circiter annis fuerit monarchia assyriaca, succedente persica? Quomodo rex Assur, qui non amplius dabatur, potuit cor suum ad iudaeos convertere?* R. Persarum monarchia, *Darius Hystaspis* hoc loco vocatur *rex Assur*; quia iuxta *Herodotum* et *Iustinum Persiae*, et *Assyriae* imperavit, et Babylone quae ab eo defecerat, *Zopiri* ope-

(1) Confer *Esther*, c. 1, v. 4, cum cap. 13, v. 4 et c. 16, v. 4.

(2) Vide *Matth.* c. 4, v. 4. *Iudith*, c. 8, v. 4. Sic etiam alibi frequenter posteriori alicuius in Scriptura vocantur eiusdem filii; uti filii *Edom*, filii *Moab*, filii *Israël*.

ra recuperata, a persarum, quam assyriorum rex erat, et merito nuncupabatur.

CAPUT II.

De libro II Esdrae.

117. **QUAERES XV.** *Num credibile sit, quod Nehemias* (II. Esdr. 1, v. 4) *propter muros Hierusalem pridem eversos, et portas a Nabuchodonosore ante 140 circiter annos combustas, amare FLEVERIT, ET LUXERIT DIEBUS MULTIIS? Ad hanc quaestionem duplex dari potest responsio. Prima est Tirini, Sanctii et aliorum communiter asserentium, hoc esse omnino credibile. Quid enim mirum, quod Nehemias audiens, muros carissimae patriae suae etiamnum iacere dissipatos, neque illius quidquam reliquum praeter inane bustum, tantum moerorem et luctum conceperit? Alii cum Thoma Holtzclau (3) defendunt, et mea opinione probabilius, quod Nehemias non tam doluerit propter devastationem Hierosolymae pridem a Nabuchodonosore factam, quam propter murum Hierusalem infestatione vicinorum hostium de novo dissipatum, postquam iudaei, duce Zorobabele, Hierosolymam reversi, eundem repararunt (4).*

118. **QUAERES XVI.** *Quomodo explicetur illud* (II. Esdr. 2, v. 1 et seq.) *ubi dicitur, quod Nehemias anno 20 regiminis Artaxerxis mense NISAN (qui partim MARTIO, partim APRILI nostro respondet) facultatem proficiscendi Hierosolymam a rege Artaxerxe petierit; cum tamen* (ex II. Esdr. 1, v. 1 et seq.) *constet Nehemiam primum in mense CASLEU seu NOVEMBRI eiusdem anni*

(3) *Tract.* 3 theol. de Verbo incarnato, n. 67.

(4) *Calmet* comment. in II Esdr. c. 1, v. 5.

20 regiminis Artaxerxis, miserum urbis statum intellexisse, quo motus Hierosolymam proficisci primum decrevit. Quomodo in MARTIO vel APRILI proficisci potuit, qui in NOVEMBRI eiusdem anni se ad iter primum resolvit? R. Neutro loco Scripturae citato sermo est de eodem anno NATURALI, sed in utroque loco sermo est de eodem anno REGIMINIS regis ARTAXERXIS. Regnum autem regum non semper computatur a kalendis ianuarii. Si igitur Artaxerxes regnare incepit in novembri (seu mense casleu), et eodem mense vigesies repetito, Nehemias intellexerit, quid Hierosolymis agatur, seque eo ire resolverit, potuit sequente mense nisan (id est martio vel aprili) eiusdem anni 20 regiminis Artaxerxis nondum completi propositum iter instituere; ut consideranti facile patet.

119. QUÆRES XVII. Quomodo verba illa Nehemiae (II. Esdr. 5, v. 14): A DIE ILLA, QUA PRAECEPERAT REX MIHI, UT ESSEM DUX IN TERRA IUDA, AB ANNO 20 USQUE AD 32 ARTAXERXIS REGIS, PER ANNOS DODECIM ANNONAS, QUAE DUCIBUS DEBENTUR, NON COMEDI, intelligenda sint? Nehemias enim erat SACERDOS (ex II Mach. 1, v. 18 et 21); ergo non fuit DUX IUDA. R. Dist. cons. non fuit dux Iuda sanguine, conc.; electione, neg. Ideo rex praecepit (non de tribu Iuda) sed in terra Iuda, vicarius regis Persiae. Itaque Nehemias non ait, se esse origine ducem Iuda; sed ait, in terra Iuda se esse constitutum ducem ex imperio regis, h. e. ab extrinseco.

DICES: Non est credibile, quod Nehemias 12 annis manserit Hierosolymis, qui (II. Esdr. 2, v. 6) constituit tempus, quo redire velit. R. Duplex ad hanc obiectionem responsio dari potest. Aliqui respondent,

quod (1) muro 52 diebus completo, 25 die mensis elul (qui nostro mensi augusto fere respondet) redierit ad regem et reginam, interea per substitutum Hierosolymis residens, cui etiam absentis annonae debebantur, quas tamen non exegit. Alii dicunt, quod 12 annis manserit Hierosolymae; quia II. Esdrae 5, v. 14 expresse dicitur, quod non redierit ad regem nisi anno 32 Artaxerxis.

120. QUÆRES XVIII. Quomodo II. Esdr. 2, v. 16) dici possit, quod Nehemias nihil de suo proposito indicaverit iis, QUI FACIEBANT OPUS, h. e. qui muros Hierosolymae restaurabant; cum tamen tunc nondum erat inchoata instauratio murorum? R. Hoc loco per eos, qui faciebant opus, intelliguntur iuxta Cornelium a Lap. opifices et praefecti operarum, qui scilicet iam destinati quidem erant ad fabricam murorum, sed ob hostium incursum et vexationes opus intermiserant vel tarde et remissa illud exercebant: vel ut Tirinus, aliique explicant, intelliguntur opifices et praefecti, non quod de facto operarentur, aut muros instaurare coeperint, sed quod ex officio suo ad hoc essent destinati.

121. QUÆRES XIX. An haec verba (II. Esdrae 7, v. 4): CIVITAS ERAT LATA NIMIS.... ET NON ERANT DOMUS AEDIFICATAE, non contradicant illis (ibidem v. 3) Nehemiae verbis: POSUI CUSTODES DE HABITATORIBUS HIERUSALEM... UNUMQUEMQUE CONTRA DOMUM SUAM. Numquid haec ultima verba non supponunt domos tunc iam fuisse aedificatas? R. Cit. versus 4 tantum docet, sufficientes domos non fuisse aedificatas ad implendam latitudinem urbis; ideo enim praecedit: Civitas erat lata nimis. Alia

(1) II. Esdr. c. 6 v. 15.

responsio est, quod custodes positi sint contra domum suam designatam, vel contra tentorium, in quo interim habitabant.

122. QUÆRES XX. Quomodo illa verba (II. Esdr. 9, v. 7): EDUXISTI ABRAM DE IGNE CHALDAEORUM, intelligenda sint. Quomodo enim Abram de igne educi potuit, cum non fuerit in ignem coniectus? Antequam respondeam, observo, hebraeos credidisse Abram a chaldaeis in fornacem ardentem immissum fuisse, eoque adorare noluisse ignem, quem illi pro Deo habebant; sed fuisse illaesum inter flammam conservatum. Verum contra est; quia si Abram per tam illustre miraculum, ut rabbini volunt, conservatus fuisset, hoc Moyses non siluisset in Genesi, nec Iosephus Iud. in sua historia, ubi gesta huius sancti patriarchae exacte et distincte recenset; nec Philo, qui de gestis Abrahami integrum librum conscripsit; nec auctor L. Ecclesiastici, qui cap. 44 laudes illius enarrat; nec denique s. Paulus ad hebr. cap. 11, ubi de fide Abrahae loquitur, ad quam extollendam plurimum profuisset, si eam in igne contra idolatriam dicto modo probasset. Porro occasionem huic fabulae dedit ambigua vox hebraea ארר Ur, quae interdum est nomen proprium alicuius civitatis in Chaldaea, ubi Abram (1) cum suo patre Thare aliquo tempore immorabatur; interdum vero est nomen appellativum, significans ignem. Hinc cit. loc. Esdrae sensus est: Eduxisti Abram de Ur Chaldaeorum, nempe de

civitate illa; prout dicitur in libro Genesis (2) his verbis: Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Lot... et eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan. LXX interpretes ad omnem aequivocationem vitandam cit. loc. Esdrae posuerunt: Eduxisti eum de regione Chaldaeorum; et arabica versio: Eduxisti eum de climate Chaldaeorum. Similiter Iosephus (3), inquit: Abrahamus.... cum iam esset annorum 75, monitus oraculo, Chaldaeam terram mulavit CHANANAEA.

Ceterum, utrum Abram, antequam a Deo invocaretur, fuerit idololatra, praeter alios expendunt Calmet (4) et Menochius (5). Prior defendit affirmativam, posterior negativam sententiam. Utraque habet pro se graves rationes, multosque magni nominis auctores patronos.

123. QUÆRES XXI. Quomodo intelligendum illud (II. Esdrae 12, v. 46): ET OMNIS ISRAEL.... SANCTIFICABANT LEVITAS, ET LEVITAE SANCTIFICABANT FILIOS AARON? Certe inferior non sanctificat superiorem; ergo laici non levitas, nec hi sacerdotes. R. SANCTIFICARE hic sumitur pro dare, quod sanctum seu sanctificatum est, nempe pro dare decimas, quae sanctae et Deo dicatae sunt: vel etiam pro ostendere aliqua actione religiosa (nimirum solutione decimarum) alterius sanctitatem, vel destinationem ad cultum Dei, vel suam subiectionem per oblationem decimarum. Unde sensus est: Omnis Israel dabant decimas levitis et levitae filiis Aaron, sive sacerdotibus, iuxta legem mosaicam (6).

(1) Vide Genes. c. 11, v. 28 et 31.

(2) Cap. 11, v. 31.

(3) L. 1 Antiq. c. 7.

(4) Comment. in Isaia c. 45, v. 27.

(5) Centur. 11, c. 88.

(6) Num. 18, v. 26. Vide Cornelium a Lap. in hunc loc.